Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40507
Copyright: Melk, Benediktinerstift

cavet. Prov. xv°. Per timorem domini declinat omnis a malo. Temeritas enim dei timorem nec scandala proximi cavet. Sed congregationem turbat et spiritum sanctum inhabitantem contristat. Quod non est modicum malum. Ephes. iiii°. Nolite contristare spiritum sanctum dei in quo signati estis. Mt. xviii°. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris. Octava humilitas est quod homo minus sentit de se quam de aliis. Unde sensum aliorum meliorem quam suum reputans facile sensum suum pro sensu aliorum dimittit. Quod multum valet ad unitatem. Abundantia sensus interdum causa est discordie. Greg. Sepe dum quosdam maior scientia erigit, a ceterorum societate disiungit. et quasi quo plus sapiunt, eo a virtute concordie desipiscunt. Humilitas pacatissima est. Pacem enim videtur habere cum suo opposito, scilicet cum superbia. Unus superbus alium superbum non patitur nec cum eo pacem habet. Tumor enim unius tumorem alterius pungit. Apud philosophos demonstratum est, quod separata corpora que sunt tumida sunt, non possunt se contingere nisi in solo puncto pungere se invicem possunt, sed non recte ad plane sibi invicem applicari. Sic est de cordibus superborum tumentibus. Corpus concavum spericum infra concavitatem suam potest recipere. sic et humilis cum superbo pacem potest habere. Superbus cum se dilatat alios comprimit et conturbat. et scissure occasio existit. Prov. xviii°. Qui se iactat et dilatat, iurgia concitat. Bern. Dilatatio solet habere scissuram. Nontum est obviam quod affectat alienam facere voluntatem exemplo illius qui ait: Descendi de celo non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me. Ioh. vi°. Unde agnita dei voluntate vel eius qui locum dei tenet, quod una est, eam eligit facere. Quod multum valet ad unitatem. Cum obstinatio proprie voluntatis multum est contraria. Bern. loquens de illo verbo Luc. ii°. Descendit cum eis et venit nazareth et erat subditus illis. Quis non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando sapientia ipsa suum deseruit. Sapientia que desursum est pacifica est, modesta, suasibilis, bonis consentiens. Iac. iii°. Sextum est patientia. Homo iracundus et impatiens occasio est discordiarum. Prov. xv°. Iracundus suscitat rixas, qui autem patiens est mitigat suscitatas. Ad perfectam bonitatem pertinet malorum tolerantia. Greg. Quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intollerantiam testis est quod bonus non est. Abel enim esse renuit, quem Cayn malitia non exercet. Septimum est amor pacis. Pax est quasi quoddam vinculum, quo membra in corpore mystico coniunguntur. Eph. iiii°. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Ad hanc pacem secundum glo. pertinet ut bona nostra invicem diligamus, et peccata que sine dampno tritici aut cum spe salutis corrigendorum eradicari non possunt usque ad messem ultimam toleremus, et perfectionis opera que fieri et non fieri licet, ne infirmi scandalizentur, pace dispensemus. Magnum bonum est pax, nec dat deus eam non amanti ipsam, sed querenti eam cum magno desiderio. In ps. Inquire pacem et persequere eam. Quidam pacem oblatam recipiunt, sed eam primo non querunt. Hii non videntur intelligere pacem hereditatem esse christianorum. Si enim se agnoscerent exhereditatos ab eo quod Christus eis legavit, non exspectarent quod alius eos invitaret ad hereditatem suam recuperandam. Hebr. xii°. Pacem sequimini cum omnibus. Pax est ubi repugnantia non est. Unde glo. super Math. v°. Ubi pax est, cui nichil repugnat. Octavum est lingue custodia. Sicut ubi domus sunt de lignis, palea tecte, ignis caute servatur ne domus succendatur, sic lingua caute custodienda est in congregatione. Lingua enim ignis est, universitas iniquitatis. Iac. iii°. a qua flamma ire in congregatione accenditur. In eodem. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit. Nisi lingua custodiatur, multe turbationes in congregatione oriuntur. Eccl. xxviii°. Susurro et bilinguis maledictus. Multos enim turbavit pacem habentes. In eodem.